

1556 *vistis, vestris auxiliis, vestris armis in pristinum dignitatis locum restituistis, qua ex re ingentem apud cunctos mortales gloriam per omne ævum duraturam retulistis.*

*Phœbus Capella Senatus decreto ad Albanum Ducem mis-
sus.*

*Albani Du-
cis respon-
sum.*

*Phœbus Ca-
pella negotio
infido Ven-
etas regre-
ditur.*

*Senatus mā-
data ad Fe-
dericū Baduariū ora-
zorem de pa-
ce cum Ca-
rolo & Phi-
lippo tra-
ctanda.*

Hæc diserte, atque incredibili prope dicendi vi Commendonum enuntiasse publica monumenta produnt. Quibus permotus Senatus, ne, quod ad Paulum, ac Philippum conciliandos attineret, quidquam prætermitteret, Phœbum Capellam, a Secretis, ad Albanum Ducem in castra per dispositos equos mittere statuit, ut quacumque ratione posset, illum ad pacem Reipublicæ nomine hortaretur. Qui cum citato itinere Romam pervenisset, Bernardo Naugerio legato negotio communicato, statim ad Albanum Ducem tendit; propensum in publicam pacem Senatus studium in Summos Pontifices, quorum incolumitati, ac dignitati semper prospexerit, observantiam patefacit: suadet *ne exortum incendium latius evagari permittat; arma sistat; de concordia cogitet; sperare, divino favente Numine, nuper obortas tempestates, pace Italæ restituta, sedatum iri.* Albanus, coactum se ad bellum descendisse, inquit: *quem enim frumentum ex eo bello Philippus ferret? a pace, modo æquis conditionibus fieri queat, non aborrere; rem omnem ex legati Veneti sententia, cuius prudentiam optime nosset, confeturum.* Per eos dies sane a Philippo literæ ad suos scriptæ fuerant, quibus pacis negotium Venetis permittere, si minus inter pontificios ac Cæsareanos conveniret, in eosdem consentire judices jubebantur. Id cum multis de causis Senatui non placuisse, Phœbus, vel hominem ad Pontificem mittat, vel colloquio locum designet, Albano suadet. Sed cum nulla ratio inveniretur, qua exulceratis utrinque animis satisfieri posset, nec Pontifex Palianum deserre, neque Cæsareani ulla, nisi eo relicto, vel penes sequestros deposito, conditiones admitterent, nullumque ad fidem servandam vinculum satis esse arbitrarentur; cum per aliquot dies Phœbus enixe, quæ in mandatis habuerat, perficere curasset, tandem irrito conatu Venetas reversus est. Senatus, frustra Albani Duci animo pertentato, denuo per legatos agit; Federico Baduario injungit, ut Carolo & Philippo filio suadeat, ne diutius bellum protrahi in Italia sificant;